



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam**

**Gudenus, Johann Moritz von**

**Erfurti, 1675**

XXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**



tibus arma deficerent, & vires ad coercendos reluctantes, suo Clero, ne ad sacra exactores admitteret, præcipit. Petrensis & Scotorum Abbates atque Canonici ad S. Severum Archiepiscopi jura observant, ast Mariani Senatui adhærent, simulque ad Curiam Romanam provocant. Indignè tulit hoc Elector, & ultra quinquennium ipsius gratiâ Civitas caruit, \* utque dum Albertus Cæsar foederatos suos Fuldam invitaret, † ibique compareret Gerlacus: interveniente Cæsare civitatem in gratiam recepit, ut tamen Clerus Marianus trecentas argenti marcas, cives mille quingentas mulctæ nomine persolverent. Sicque hoc sæculum ad finem, non tamen sine cladibus ignis decurrit, (a) quippe anno nonagesimo in festo Pentecostes fulgure templum omnium Sanctorum incensum, & exustum est: in autumnocentum ædes ad portam S. Joannis deusta. Biennio ab hinc mercatorum pons cum templo S. Ægidii in cineres actus. Anno nonagesimo sexto in foro raparum ignis exortus universam plateam membranariorum prostravit. Post biennium à monte ad Clypeatores usque flamma sævit. Frequens hoc urbi malum est, ligneis parietibus, & tectis uberem materiam præben-

\* MCCXC  
IX.

*Auctoritate  
Cæsaris  
Fuldæ res  
composita.*

*Incendia.*

\* MCCC.

*Erfurt. arcē*

XXVIII.

*Hopfgarten*

*expugnant.*

(a) *MS. Chron. Erfurt.*

\* Sub Adolphi Imperio licentia prædandi recrudit. Arcem Hopfgarten † prædones



dones infederant, Urbi molesti: (a) Hæc armatis civibus illam obsidet, ac post aliquot septimanarum oppugnationem conscendit, arx ipsa solo æquata, prædones triginta novem capti, pœnam ordinariam subierunt. Eos inter plerique nobiles, hinc Urbs multorum in se odia provocaverat, qui civibus hinc inde insidiantes, vel sanguine vel amicitia conjunctos ulciscabantur. \* Cumque à comite † de Kirchberg potissimum infestarentur, (b) denuò arma corripunt. Ille junioris Landgravii favore nixus, multis etiam nobilibus in partes suas tractis bellum difficilius effecit. Erfordia ope matris (c) viduæ destituta Mülhusinos † & Northufanos in societatem armorum & foedus invitavit: (d) eò nunc res devenisse, ut comites, & nobiles in perniciem Civitatum jurasse videantur; loqui id continuas prædas, quibus urbes infestarent, nec spoliū amplius videri quod civi adimeretur. Agerent, & pro necessitate communi arma conferrent, vi domandos, qui legibus non possent. Prompta ad hæc Mülhusia dimidietatem civium obtulit. Descendunt etiam in foedus Northufani, atque conclusum, non desistendum ab armis, priusquam hostium arces † Winterberg, Kirchberg, & Greiffenberg

\* MCCCIV.  
Bellum in  
Comitem de  
Kirchberg  
decernunt.

De foederatis  
sibi prospiciunt.

Tres comi-  
tis arces ob-  
berg fidensur.

(a) MS. Chron. Erfurt.

(b) Rivand. in Chron. Thuringiæ hoc anno.

(c) Vid. Serar. in Petro ArchiEp.

(d) MS. Chron. Erfurt.



berg expugnatae essent. Vix advenerant concederatorum auxilia, deducitur ex Urbe exercitus, & simul omnes obsidentur: magna fortitudine Mülhusini pugnarunt, sed illi de Northusâ tunc quidem ad nihil erant animosi, (a) propterea cum in caeterorum jocis essent, post paucos dies domum revertebantur. Nihilo segnius continuata obsidio, comeatus ex Urbe magna in copiâ advectus, ac licet frequenter hinc inde armati remearent, attamen ea tam exactâ disciplinâ viarum securitas inviolata mansit, ut nemo vel obulo fuerit spoliatus. Primum expugnatur Kirchberg, quod cum junior Landgravius Fredericus audiret, † offensus multis minis Erfurteneses petiit, cum autem præter illas, ob inimicitias cum Patre Alberto, modicum posset, ab iis contemptui habebatur. Ille assumptis militibus castra obsidentium penetrat, & obsessis in Winterberg succurrit: magnis tripudiis à præsidio receptus, utque ostenderet, quos oppugnarent Erfurteneses, cataphractam suam ex turri arcis exposuit, animos civium remissuros in vanum sperans, si scirent Landgravium peti: † Triumphatum interim de Greiffenberg, atque ipse tandem Landgravius in eam necessitatem adactus, ut liberum sibi discessum pacifceretur, arcem, & reliquos oppugnantis dederet. Devictæ arces Winterberg

*Junior Lād-  
gravius de-  
fensionem  
comitis sus-  
cipit.*

*Nihilomi-  
nus arces  
captae.*

(a) MS. Chron. Erfurt. hoc anno.



berg & Kirchberg solo æquata, Greiffenberg sufficiente præsidio firmatum, idque nonnisi anno hujus sæculi decimo quarto (a) humilianti se per legatos Comiti restitutum est.

Interim Petrus † Elector Moguntinam Sedem conscendit, atque digno Electore comitatu Erfordiam adit, (b) ubi splendè ab omni Civitate exceptus subjectionis sponsonem acceptat.

Perpetua fuit inter Fridericum † & Urbem æmulatio, & quoniam illi cum Alberto Patre lis erat, hujus partes Erfordia tenuit. \* (c) Juniori Landgravio Rinkleben, Hasleben, † & Sommerdam, tunc Swarceburgensium comitum, extorsit.

Ipse Cæsar Albertus Imperio vindicans, quæ antecessor Adolphus emerat, Friderici adversarius, & hostis: (d) sed cum hic cœde præveniretur, Patrem filius potissimâ provinciæ parte exuit. Ille igitur Erfordiam † fugit, (e) ubi cum Civitate de alimentis sibi, & duodecim ministris ad vitam præbendis paciscitur, † cumque pecunia deficeret, pagos circà Urbem, cujus beneficio hæctenus defenderat, partim vendit, partim in solutum cedit: illi sunt, qui Gotham versus in

*Petrus novus Elector*  
XXIX.

*Erford. ingreditur & Homagium excipit.*

XXX.

*Discordia inter patrem & filium*

\* MCCC VIII.

*Erfordia patri adversus filium adsistit.*

*Pater Albertus à filio Landgraviatu exuitus Erfordie degit.*

*de alimentis cum senatu paciscitur.*

(a) MS. Chron. Petrense.

(b) MS. Chron. Petrensis.

(c) MS. Chron. Erfurt.

(d) Chronica Thuringiæ hoc anno.

(e) MS. Chron. Erfurt. & Chron. Thuringiæ.